

Leb. 26.

BEATI DOCTORIS
MARTINI LVTHERI
COMMENDATIO
**PSALTERII
DAVIDIS,**
IN VSVM
STUDIOSE IVVENTVTIS
RECVSA,

CVRANTE
D. IO. HENR. MICHAELIS,
S. THEOL. ET GR. AC OO. LINGG.
P. P. ET ORD.




HALAE MAGDEB.
APVD IO. CHRISTIANVM HENDELIVM,
MDCCXXVI.

MARTINI TUTHERI
GEOGRAPHIA

HISTORIA
DAVIDI.

IN AVAM
STUDIORUM IAVANTIAST

PRO. HENR. MICHAELE



CHRISTIANA HINDEMUTH
EXCEPTE



AVDITORIBVS SVIS CARISSIMIS,

SACRARVM LITTERARVM STUDIOYSIS,

IN CHRISTO IESV

S. P. D.

D. IO. HENRICVS MICHAELIS.

DVm ad ultimam partem vergunt
lectiones nostrae in psalmos, quum
his ipsis diebus evoluerem com-
mentarium D. IO. BVGENHA-
GII POMERANI, Basileae clo lo xxxv.
mense Augusto, cum auctario impressum,
praeter exspectationem post illud Auctari-
um inueni insigne hanc B. Patris nostri D.
MARTINI LVTHERI commendationem

A 2

Psal-

Psalterii Davidici. Quæ quum auide perlecta
 ame esset, & mirifice mihi placeret, frustra
 tamen in tomis Latinis lenensibus, nec fel-
 licius apud illustrem SECKENDORFI-
 VM requireretur, qui non sine fructu in-
 tegrā repetiit Lutheri commendatio-
 nem Commentarii Bugenhagiani, anno
 1524. primum vulgatam; statim per typ-
 ographum eamdem vobiscum denuo com-
 municandam esse putauit: cum, vt meum
 testarer adfectum erga tam eximium vene-
 randi Viri monumentum; tum, vt vos ex
 parte in studio vestro confirmarem, reli-
 quos vero, vel magni Lutheri monitis, ad
 maiorem industriam circa diuina haec can-
 tica accendereint. *Est enim*, vt idem B. no-
 ster Lutherus monuit in comment. ad Ie-
 saiae XLIX, 8. tomo III. Lat. Ien. f. m. 397. b.
 "grauissima tentatio, qua saturi fastidimus
 "Dei verbum. Quum enim Satan hanc do-
 "ctrinam primo vi per principes mundi,
 "deinde dolo per haereticos oppugnet;
 "priuatum etiam vnumquemque tentat vi-
 "tio, quod Graeci ~~anomias~~ dicunt, de quo
 "Scriptura ait: impleta est anima eorum
 "nausea. Haec quia latissime patet, plu-
 "rimum nocet. Nam tyranni & haereti-
 "ci Ecclesiae prosunt, & exercent fidem
 "& doctrinam Ecclesiae; acedia autem
 "stertentes, securos, saturos, & omnibus
 "Satanæ telis expositos facit. Necessaria
 igitur

igitur haec adhortatio est, vt simus vigi- „
 lantes. Ego sane ante hoc saeculum o- „
 mnibus mundi opibus vnum aliquem „
 psalmum bene intellectum praetulisse, „
 sed erat cœlum tum aeneum, & terra clau- „
 sa. Nunc autem postquam cataractae „
 coeli effusæ sunt, incipimus id fastidire. „
 Qui semel Novum Testamentum perle- „
 git, admiratur se, & nihil restare putat, „
 quod teneat. Fiet igitur, vt auferatur ab „
 ingratis verbum, & detur alii genti, quam „
 fortasse nos ignoramus. „ Hactenus ver- „
 ba Lutheri. Non opus est, ut plura his ad- „
 dam, quum & publice & priuatim vobis „
 quotidie explicetur, quid e re vestra sit, & „
 quam necessaria sit oratio & meditatio in „
 studio theologico, nisi temptationibus suc- „
 cumbere quis tandem malit; item quam „
 pretiosa ac dolenda tandem sit temporis „
 academici non bene transacti iactura. Pia „
 itaque ac seria mentis adplicatione legite „
 hoc B. Viri testimonium, & sec. illud ve- „
 stram excutite conscientiam, quomodo sin- „
 guli erga diuinum verbum affecti sitis. Τῷ
 γὰρ ἐχοντι, παντὸς δοθῆσται, καὶ περισσευθῆ-
 σται. αὐτὸς δὲ τῷ μὴ ἐχοντι, καὶ ὁ ἐχεις αρεθῆ-
 σται απ' ἀντῆς, vt ipse nos docet Saluator
 noster O. M. Matth. XXV, 29. cuius gratiae
 ac benedictioni vos & studia vestra com-
 mendo.

Ceterum ne & hoc indicare omittam,
 quum repeterem semel factam lectionem
 scripti, quod tantopere placuerat, mox de-
 prehendi, idem illud esse cum germanica
 praefatione in Psalmos (vnde etiam in eas-
 dem paragraphos, quibus in vernaculis Bi-
 bliis comparet, dispescere ipsum volui, quo
 facilius conferri alterum exemplum cum
 altero possit;) sed ita, vt quae breuiter non-
 nunquam in germanico opusculo dicun-
 tur, hic paullo copiosius enarrata sint, vel
 ab ipso, vel adprobantis Lutheri Amico
 quodam. Editum enim primum est, vti
 supra dixi, decem annis & sex mensibus
 ante beatum Viri obitum, qui ei Islebiae
 anno clo Io XLVI. d. XVIII. Febr. hora 2.
 matutina placidissime a Domino contigit.
 Sit memoria Viri, immortaliter de nobis
 per Dei gratiam meriti, omnibus bonis in
 benedictionem, & sacra eius folia, nunquam
 marcescant, nec bene ab eodem scripta un-
 quam e manibus piorum exutiantur! Dab.
 Halae d. xv. Iunii clo locc XXVI.

Con-



Confpectus opusculi.

Psalterium amatum a piis, VII. Isque non pictus VIII.
I. Multo praestantius est Sed viuis IX. Gratiarum ac-
sanctorum legendis. II. Hi-
storiae sanctorum sunt in
Psalmis. III. Doctrinæ in
Psalmis, immo Christus;
Parua Biblia; Formæ pre-
cū. IV. Sanctorum verba
& adfectus in Psalmis. V.
Sermo hominis character VI.
Psalmi character Sanctorum
VII. Isque non pictus VIII.
VIII. Coram Deo psal-
mi XII. Te esse in commu-
nione sanctorum, declarare
Psalmi. XIII. Imitatio tuta;
Ecclesia & omnia in Psalmis
XIV. Non simus ingrati XV.
Votum XVI.

I.

Multi ex veteribus & sanctis patribus,
Psalterium prae omnibus reliquis
scripturae libris, magnifice commen-
darunt, & mire amare se Psalmos testati sunt.
Et profecto commendari meretur omnibus
hic libellus, quamvis parvus, nec indigent
ad scititiis laudibus Davidici Psalmi: ipsi ab-
unde commendant se se, & plane hic verum
est, quod dicitur, opus celebrat artificem.
Meam autem operam huc contuli, non ut
instituerem Psalmorum Encomium, qui
per se laudati sunt satis, sed ut de hoc o-
ptimo libello vt cunque meum ostenderem
piis iudicium.

II. Superioribus annis vidimus infinitos
libellos, sed eos valde insulsos & ineptos,
circumferri, quibus sub honesto & plausi-

A 4 bili

bili titulo (Legendaen enim & Exempla inscripti erant Sanctorum) aniles nugae & impudentissima mendacia continebantur. Eiusmodi scriptis, iuxta stultis ac impiis, sic erant referta omnia, ut ne vnum quidem Psalmum haberemus commode redditum aut intellectum. Quia tamen hic liber Davidis canebatur in omnibus templis, & horariis precibus a tot millibus frequentabatur; ea ipsa, quamuis frigida tractatione Psalmorum, aliquis tamen odor vitae oblatus est plerisque bonae mentis hominibus, & vt cunque ex verbis illis, etiam non intellectis, semper aliquid consolationis & aurulae senserunt e. Psalmis pii, veluti ex roseto, leniter spirantis. Haud aliter atque per amoenissimum pratum ingredienti, ei qui ignoret herbarum & florum vim, suauis aliquis odor ad nares perueniat.

III. De psalmis breuiter meam dicam sententiam. Evidem nullum puto librum exemplorum aut historiarum sub coelo esse, qui Psalterio conferri possit. Proinde si votis adhuc a Deo impetrari deberet, ut omnia, quae in omnibus veris sanctorum historiis essent optima & selectissima, vndeque excerpta & collecta, breuissime & aptissime in vnum compingerentur libellum, hoc quod sic ex optimis, ex ipso flore rerum in tota Scriptura a spiritualissimo aliquo & summo artifice fingi aut conflari posset

posset, hoc haud dubie futurum esset tale Davidis Psalterium, aut huius Psalterii simillimum. Nam hic inuenies, non vnius tantum sancti vitam; sed quomodo caput omnium sanctorum CHRISTVS (ille enim in Psalmis depictus est) affectus fuerit, quomodo adhuc omnes credentes, rebus tristibus iuxta ac secundis affecti sint; quomodo se erga DEVVM, erga amicos iuxta ac inimicos gesserint, quomodo se in variis periculis & afflictionibus, in medio temptationum incendio, & maximis necessitatibus habuerint.

IV. Ultra autem hoc, quod egregias doctrinas & praecepta pietatis complectitur, vel hoc nomine debebat esse nobis charissimum Psalterium, quod tam manifestas prophetias de morte & resurrectione Christi continet, quod tam egregias promissiones de regno Christi, de cursu Euangelii, de statu totius ecclesiae nobis exhibit. Proinde, iure parua Biblia dixeris Psalterium, in quo omnia, quae in totis Bibliis explicatius tradita sunt, mira & iucundissima breuitate, in elegantissimum Enchiridion coacta sunt. Si DEVS ipse e cœlo porrigeret libellum, quem diuina voce commendaret, quam es- ses hunc habiturus in deliciis, quam arrepturus aide! Psalterium, ne dubita, ipse Spiritus sanctus tanquam filialis pater formam praescripsit precum; hoc Enchiridion

A 5 ipse

ipse suis discipulis concinnauit, collectis exemplis, & gemitibus & adfectibus, quasi multorum millium, quorum solus ipse cor-
da videt & nouit. Si tota Biblia igitur le-
gere non posses, en sola lectione Psalterii,
non modo pieratis summam, sed & omnia
summa, & spiritualissimas experientias ha-
bes.

V. Praeterea & haec psalmorum p-
cipua virtus est: cum in reliquis scriptis &
historiis, opera tantum & corporalis exer-
citatio sanctorum describantur, admodum
paucas inuenias historias, quae sic verba,
voces & sermonem (qui character animi
est) nobis describant in sanctis. Ibi igitur
piarum mentium delicium potest esse Psal-
terium, ibi adeo iucunda lectio sunt Psalmi,
vt ex eis non modo opera sanctorum, sed &
singula verba & voces, sed & gemitus &
colloquia, quibus coram DEO in tentatio-
nibus iuxta ac consolationibus vni sint, co-
gnoscas; sic, vt quamuis mortui sint, tibi
tamen in psalmis adhuc viuant & loquan-
tur. Aliae igitur Historioblae & exempla
sanctorum, quae opera describunt, si Psal-
terio conferantur, mutos nobis sanctos pro-
ponunt, & omnia ibi muta sunt. In psal-
mis vero, quia voces sunt in fide orantium,
omnia viuunt, omnia spirant, & viuos no-
bis alacres, ac fidei affectu in mediis etiam
ad afflictionibus erectos, exhibent sanctos.

VI.

VI. Mutum hominem, potius mortuum truncum, quam hominem dicas; & nulla re homo a reliquis pecudibus, atque sermonis vsu discernitur. Figuram hominis, si artificis accedat industria, vel saxum accepit, & reliqua *ἄλογα* sic edunt, bibunt, sic etiam sensuum vtuntur organis, atque nos; ad tolerandos autem labores sunt etiam corpore validiori. Sermo solus hominem discernit ab elua. Is autem mentis character est & speculum.

VII. Cum igitur sermonem, verba & voces sanctorum describant Psalmi, ipsorum mentem nobis depingunt. Non enim familiares illas & vulgatas voces sanctorum describunt Psalmi, sed patheticas illas & ardentissimas, vbi magno serio, in ipso paroxysmo tentationum, quasi in quadam accrimita lucta Iacob, cor suum non coram amiculo, non coram homine, sed coram Deo suo effuderunt. Psalmi igitur non modo opera & voces sanctorum, sed ipsum abditissimum cordis ipsorum thesaurum, intimos animi motus, & affectus cordis exprimunt. Vultus & os Dauidis, quo varias illas aerumnas & pericula, quibus DEVS eum exercuit, pertulerit, videre velles; legge Psalmos, qui tibi non tantum externum, sed & interiore illum Dauidem expressius reddunt, quam ipse se se coram, ullis verbis describere potuisset. Quid igitur

tur prae Psalmis sunt reliquae historiae,
quae opuscula tantum, et nescio quae mi-
racula sanctorum decantant? Nondum
cor & affectus video, etiamsi opera & mi-
racula videam.

VIII. Quemadmodum autem longe
mallem audire Dauidem, aut similem san-
ctum loquentem, quam videre illius cor-
poralia exercitia: ita adhuc omnium maxi-
me optarim, intimas cogitationes Dauidis,
& intimum illud certamen fidei cognosce-
re. Hoc autem praestant psalmi opulenter, ut
ex eis cognoscere possimus, quomodo san-
cti in temptationibus animati fuerint, quo ar-
dore verborum animi sui affectus expresse-
rint. Cor enim humanum non aliter ha-
bet atque nauicula in medio mari, quae ex
omni parte periculis & ventorum exposita
sit ludibrio. Hinc enim animos nostros
solicitudo & metus futuri mali, veluti subi-
ta tempestas exarmat: illinc pusillanimitas
& cordis moestitia, veluti altis fluctibus nos
opprimit. Mox fiducia rerum secunda-
rum, plenis carbasis in cœlum nos tollit.
Rursus securitas bonorum praesentium,
praeter spem nauiculam scopulo illidit.

IX. Tot igitur huius vitae discrimina,
eiusmodi mille pericula, facile nos acuunt
& excitant, facile docent, ex intimis suspi-
rare visceribus, totum cor effundere, &
toto mentis ardore clamare ad coelum.

Lon-

Longe ardenterores querelae sunt eorum, qui vere dolent, quam qui animi angustiam simulant tantum. Longe alacrior, excitator, feruentior & vultu & verbis, & toto oris gestu est is, qui ex corde gaudet, quam qui simulate tantum frontem exporrigit. Hinc Germanice dicitur: Es gehet nicht von Herzen, quando tristes rident, aut laeti lacrymas vi exprimunt.

X. Psalmorum voces ex veris & viuis prorumpunt affectibus. Bona autem pars psalmorum eiusmodi pathetica sunt & ardentissimorum affectuum verba, omnis generis temptationum & afflictionum. Nusquam inuenies felicius aut significantius expressum gaudentis & exsultantis animi affectum, quam Psalmos gratiarum actionis seu psalmos laudum. Ibi enim in sanctorum corda, haud aliter atque in paradisum aut in apertum cœlum, licet respicere, quanta ibi varietate subinde exoriantur amoeni illi flosculi, & micantissimae stellulae dulcissimorum erga Deum & illius beneficia affectuum.

XI. Econtrario nusquam inuenies significantioribus verbis descriptam mentis angustiam, animi dolorem & moestitiam, quam in Psalmis temptationum seu querelarum, ut Psalmo VI. & similibus. Ibi ipsam mortem, ipsum infernum, vides suis depictum coloribus, ibi omnia vides atra, omnia tristia,

tristia, conspectu irae diuinæ & desperatio-
nis. Sic etiam vbi de spe, de timore lo-
quuntur Psalmi, sic suis nativis vocibus hos
adfectus describunt, vt nullus Demosthe-
nes, nullus Cicero, hoc expressurus fuerit
viuidius aut felicius.

XII. Nam, vt dixi, hoc præ ceteris scri-
ptis proprium habent Psalmi, vt sancti eos
non in ventum loquuti sint, non ad amicu-
lum, sed coram Deo suo, & vt coram oculis
Dei. Hoc enim in primis affectus acuit &
accendit, hoc omnia ossa, omnes medullas
veluti excitat, cum creatura serio, *coram*
Deo suo loquitur. Quando alias amiculo
aut homini conquerimur nostras necessi-
tates, non sic ardent, non sic viuunt, non
sic aestuant omnia affectuum impetu. Psal-
terium igitur, quia affectus continet, libel-
lus est, omnibus christianis sic adcommo-
dabilis, vt quilibet vere pius, in quacunque
sit tentatione, in psalmis verba & affectus
inueniat, quae ad suas afflictiones non ali-
ter quadrent, quam si hodie de tuis propriis
afflictionibus haec carmina scripta & con-
dita essent.

XIII. Hoc ipsum autem potest magnæ
esse tibi consolationi, quando Psalmi tibi
valde placent. Extat vox Quintiliani: Is
sciat se profecisse, cui Cicero valde placet.
Hoc forsitan inepte huctorsero: Is sciat
se profecisse in sacris, quem Davidica car-
mina

mina valde consolantur. Quando enim similiter adficeris, quando nerui & fides psalterii, simili affectu & motu animi tui pulsae, retinniunt; certificaris, te esse in congregacione electorum DEI: cum eundem in modum adfligaris, quo ipsi adflicti sunt; cum simili fide & affectu ores, quo ipsi orarunt. Incredulo & frigido lectori, insipidi sunt psalmi.

XIV. Postremo Psalmi, pars ea sunt in vita sanctorum, quam omnium tutissime imiteris. Alia exempla & Historiae, quibus non voces & verba, sed opera tantum sanctorum descripta sunt, multa habent, quae non possumus imitari in sanctis; ut prodigia & virtutes. Pleraque etiam opera eiusmodi sunt, vt citra periculum graue non possis imitari, vt quae sectas & haereses excitant, & ab unitate spiritus auocant, vt in Monachatu vidimus. Psalmi autem a sectis auocant ad unitatem spiritus, docentque rebus secundis retinere timorem, aduersis vero spem non abiicere, & sic verum *τὸ δυνάμενον Φρονεῖν, idem sapere*, & similiter affectum esse cum omnibus sanctis. In summa, si cernere cupis Christianam ecclesiam, veluti in elegantissima tabula depictam, viuis & spirantibus coloribus, tum Psalterium accipe in manum. Hoc enim tibi purissimi speculi vice fuerit, quod tibi repraesentet veram ecclesiae, immo si pius sis,

sis, etiam tui ipsius imaginem, vt iuxta illud sapientis γνῶθι σεαυτὸν, vere te ipsum noscas, immo DEVM & creaturas omnes.

XV. Proinde vigilemus, vt hoc nostro saeculo, pro hac reuelatione verbi, pro inenarrabili hoc dono Dei grati simus. Vt tamur his tantis donis ad gloriam Dei, & commodum proximi; ne nostræ ingratitudinis graues poenas demus. Nam non ita ante multos annos, durante illa barbarie, quantus thesaurus fuisset habitus, si vel vnum psalmum habuissimus, bene cognitum aut intellectum; & ne vnum quidem habuimus. Nunc autem beati sumus in tanta opulentia; & beati oculi, qui vident, quae videimus, & aures quae audiunt, quae nos audimus. Sed quam metuo, ne cum Iudeis in deserto manna fastidientes dicamus: Nauseat anima nostra super cibo illo leuisimo. Verum, iudicium suum portabunt verbi contemptores, quicunque sunt illi, quemadmodum Israelitae iudicium horrendum portarunt.


XVI. Nos autem seruet & prouehat in cognitione verbi sui, Pater misericordiarum & Deus totius consolationis, per Iesum Christum, Dominum nostrum: cui laus & gloria, pro hoc Psalterio, & omnibus donis, quibus excellenter ditauit nos, in saecula, Amen.



B 6 302.

S. 8^o

m.c.



putauit. Cuius viri iudicium cum magnum apud me pondus habeat, reticere illud nolui. Idem quoque de *Cartesio* melius sentiendum iudicabat, quam sensisset *Val. Alberti*, a me citatus, pluribus vero refutatus a D. *Andrea Petermanno* in vindicatione *philosophiae Cartesiana* contra censuram *Dan. Huetii*. Allegatam b. *Danzii* de *Kri* opinionem non eo fine com memoravi, ut ei assentiat, quam omiserim. dissensus significationem.

FINIS.

C
BEATI DOCTORIS
MARTINI LVTHERI
COMMENDATIO
PSALTERII
DAVIDIS,

IN VSVM
STVDIOSAE IVVENTVTIS
RECVSA,

CVRANTE
D. IO. HENR. MICHAELIS,
S. THEOL. ET GR. AC OO. LINGG.
P. P. ET ORD.

